Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26828
Copyright: Admont, Benediktinerstift

manifestam, ut omnis novimus, appetendi locum
vitia fugiendi, noxia respuendi, sensus corpora-
lia discernendi, visum ad colores, auditum ad
voces, olfactum ad odores, gustum ad sapores,
motum vel ad voluptatem vel a molestiis. Intellegi-
mus hec et videmus. An oculos nostros non habent ratio-
nem intellegendi. Sed habent spiritum corporis animantem
et vitam manifestam. Arbores autem nec ipsam habent,
et tamen omnia laudant dominum. Quomodo ergo laudant dominum?
Quia cum ista videmus, et consideramus creatorem qui ea fecit,
de illis nascitur in nobis laus dei, et cum ipsorum consi-
deratione laudatur deus, omnia laudant dominum. Ce-
pit ergo iste de celo, laudant omnia, et dicit: Lau-
date. Quare cum laudent dicit laudate? Quia de-
lectatus est in eo quod laudant, et placuit ei quasi ad-
iungere hortationem suam. Quomodo si venias ad homines
bonum aliquid operantes cum gaudio, sive in vinea sive
in messe, sive in aliqua agricultura, placet tibi quod
faciunt, et dicis: facite, agite; non ut tunc incipi-
ant facere quando dicis, sed quia placet tibi quod facientes inve-
nis, adiungis gratulationem tuam et exhortati-
onem tuam. Dicendo enim facite, et exhortando
facientes, voto quasi facis cum illis. In hac ergo exhor-
tatione plenus spiritu propheta dicit hec. Et psalmus est
Aggei et Zacharie. Sic habet titulus. Isti duo prophe-
te eo tempore quo captivus populus in babylonia tene-
batur, prophetabant et futurum finem captivitatis,
ut restauraretur civitas ierusalem que bello ceciderat.
Significaverunt ergo nobis in mysterio vitam futuram,
ubi laudabimus dominum post captivitatem vite presentis,
ubi erit innovatio civitatis illius magne ierusalem,
unde peregrini suspiramus in captivitate, adhuc
sub onere et sarcina corporis mortalis. Unde adhuc
gemimus in peregrinatione, exultabimus autem in
patria. Qui autem non gemit peregrinus, non gaudebit civis,
quia desiderium non est in illo. Prophete ergo isti sancti magnam
consolationem prebuerunt tunc captivo populo secundum car-
nem, id est constituto in babylonia sub regibus alienis.
Ostendebant enim per prophetiam futurum tempus liberatio-

a captivitate.
nis et instaurationis ierusalem. Sed illa omnia in figura
gesta sunt. habent veritatem suam. Figurata sunt ab antiquis,
presentia ostendunt in nobis. Modo ergo quod dicit apostolus: Quam-
diu sumus in corpore, peregrinamur a domino. non dum sumus in
patria. Quando triumphabimus devicto inimico diabolo,
quando mors novissima inimica destruetur, tunc fiet sermo
qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors con-
tentio tua? Ubi est mors aculeus tuus? In patria ergo nulla
erit mortalis contentio que modo est, et facit nos gemere ex defec-
tu et mutabilitate rerum, ex fragilitate carnis hu-
mane. Certandum nobis cum cottidie temptationes.
Certandum quoque cottidie delectationes. Et si non consentiamus,
tamen molestiam patimur. Et certandum est, et magnum periculum
est ut quis certando vincatur. Si autem non consentiendo vincamus,
molestiam tamen patimur resistendo delectationibus. Non
cessat enim motus hostis, nisi in resurrectione mortuorum.
Sed presumamus, fidamus. Erigunt nos Aggeus et Zacharias,
cantant futuram liberationem nostram. Si illi populo canta-
verunt et impletum est, christiano populo quod cantatur non imple-
bitur? Securi estote, tantum in ista peregrinatione
vite quomodo agatis videte. Non nobis placeat amor ba-
bylonie, ne obliviscamini civitatem ierusalem. Et si
corpus nostrum adhuc in babylonia tenetur, cor nostrum ad
ierusalem premittatur. Laudate ergo tota creatura dominum,
quia hoc ibi facturi sumus, quod hic premeditamur. Laudate
dominum de celis, laudate eum in excelsis. Primo de celis
dicit, postea de terra. Laudat enim deus qui fecit celum et terram.
Celestia tranquilla sunt, pacata sunt; ibi semper gaudium, nulla
mors, nulla egritudo, nulla molestia. Laudent
dominum beati. Nos autem adhuc iusum sumus. Sed cum cogi-
tamus quomodo ibi laudetur deus, cor ibi habemus; et non sine causa
audimus: Sursum cor. Levemus cor sursum, ne putrescat
in terra, quia placet nobis quod ibi agunt angeli. Modo nos spe-
pea re, sed cum illuc venerimus. Laudate ergo eum in excelsis.
Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtu-
tes eius. Laudate eum sol et luna, laudate eum omnes
stelle et lumen. Laudate eum celi celorum, et aque que super
celos sunt laudent nomen domini. Non explicat omnia nu-
merando, sed tamen summatim et quasi omnia perstrinxit.